

tariam fecit et constituit. Aurum quoque et argentum, equos et mullos et omnia ornamenta pretiosa tulit et inter milites suos divisit. Viros nobiles et prudentes et bellicosos secum ad Romanam duxit *civitatem et cum exercitu suo, innumerabili *f. 28^b. multitudine Gallorum retro iter agrediens ad Romanam urbem magno impetu et furore ac velociter redire festinavit; civitates¹, castra et loca, munitiones in Emilia existentes subvertit et destruxit. Nuntios autem suos ad senatum et Ponpeium direxit, ut quemcumque habere possent, capitali pena punirent. Cumque ad Arimini² partes accessisset, iuxta Ariminum sua iussit ponere castra. Nocte vero adveniente apparuit ei in visione mulierem quandam in capite urbem Rome deferentem, turribus et meniis undique vallatam, dicentem ei: 'Iulius Cesar, cum ad fluvium Tiberi accessistis, cur arma bellica non³ dimissistis, ut de Romanorum imperatorum est consuetudine ab occidentalibus partibus venientium, et inclinato vultu et humili gradu, armis bellicis depositis, ad urbem non curastis accedere Romanam? Depone igitur arma belli et genu flexo et yleri facie ingredere urbem, et eris Romani imperii dominator⁴'. Qui excitatus a sompno cepit plurimum nutare⁵ et turbari. Die vero veniente visionem viris nobilibus et sapientibus per seriem narravit et aperuit, prebentes ei consilium, ut armis depositis et yleri facie et animo leto ad Romanam deberet accedere civitatem. His auditis et intellectis, tamquam vir furiosus et insanus⁶ alta voce cepit dicere: 'O commilitones mei, *viri sapientissimi et bellicosi, tollite, tollite arma bellicosa! *f. 28^c. non est alicuius viri prudentissimi et potentissimi propter visiones vanas et inutiles parata relinquere, sed magis ac magis ea ad finem perducere; semper enim nocuit differre paratis⁷. Capite⁸ arma, et velociter ad urbem Rome accedere curamus⁹, omnia fortitudini nostre erunt aperta pariter et subiecta'. Hoc ita dicto, omnes laudaverunt probitatem suam, armis vero captis magno impetu et veloci gradu equitantes, loca, castra, munitiones et civitates depopulando et subiugando versus urbem iter suum direxit.

Audiens Ponpeius et eiusdem urbis viri nobiles et potentes de his que a Cesare agebantur, timentes perfidiam et nequitiam eius, auro et argento, vasa aurea et argentea, ornamentis et indumentis pretiosis, universam pecuniam¹⁰, quam potuerunt

1) 'ciuitatis' Hs. 2) Dass Cäsar diesen Ort auf dem Zuge gegen Rom berührte, erzählt Paulus, Hist. Rom. VI, 19. Wie denn Codagnellus der Hist. Rom. beständig einige historische Züge entlehnt, um sie mit seinen tollen Fabeln zu verweben. Das jedesmal zu erwähnen, habe ich nicht für nothwendig gehalten, da es sich ja um die allerbekanntesten Dinge handelt. 3) Fehlt Hs. 4) 'dortu nanie' Hs. 5) 'mutare' Hs. 6) 'insanis' Hs. 7) Lucan. Phars. I, 281. 8) 'Carpite' Hs. 9) So die Hs. für 'curemus'. 10) So hat Codagn. offenbar geschrieben.